Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 363
Quelle:
Copyright:

Alcimus hec lubrico texi que carmina verſu
Primis iam breuibus ſed ſena Volumina pennis
Conſcripſi en celeris deno ſub lumine ſolis.

Hos Verſus, quorum nec *Sirmondus*, nec *Leyſerus* aut *Fabricius* méminit, non Autoris, ſed Deſcriptoris cujusdam eſſe puto, qui intra *Decem Dies* laborem ſuum exegerit; quomodo enim *Avitus* inter ceteras muneris ſui curas tam paucis diebus Verſus 3216. pepigiſſet? Igitur etiam *texit* legendum cenſeo pro *texi*, quod *Avitus* ipſe vix adhibuiſſet pro *texuit*. Neque, quid ſibi velit τὸ *Primis iam breuibus*, ſatis adſequor. Ceterum pluribus, ſi locus hic foret, haud difficulter oſtendi poſſet, *Miltonum* in condendo ſuo *Paradiſo* lectione Noſtri non parum adjutum fuiſſe.

III. *fol.* 148. *Cecilij Cypriani epiſcopi Carthaginenſis de ligno crucis carmen.*

Eſt locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgota iudei patrio cognomine dicunt. &c.

Titulo *Ligni Vitae* inſcriptum ſub *Cypriani* nomine etiam in Collect. *Poetar. Vett. Eccleſiaſticor. Ge. Fabricii, Baſil.* 1564. p. 302. 4. legitur. Quidam Codices praenotant: *De Paſcha.* Abjudicatum merito *a Cypriano* Critici *Victorino* tribuunt, nutant tamen inter *Petabionenſem* et *Pictavienſem*, ſub cujus nomine extat inter *Cypriani* Νοθα in edit. *Opp.* curata ab *Joh. Fello, Amſt.* 1700. p. 139. f. ubi notatur e *Pamelio: Bedam de Re metrica* jam illud *Victorino Pictav.* adſcripſiſſe, qua de re in meo quidem *Beda Colon.* 1688. f. nihil reperio. Cetera miror *Fellum* non magis uſum fuiſſe *Fabricio*, cujus lectio pluribus locis praeferenda videtur. Atque cum ea conſpirat Codex noſter; legit tamen *renouati mentibus*, quod propius accedit ad Apoſtolum *Epheſ.* IV. 23. pro *renovatis mentibus.* Ad calcem rubro additum: *Inueni in antiquiſſimo codice ſed non legibili propter etatem quod magna pars corroſa erat, elegantiſſimum carmen Cecilij Cipriani de Reſurrectione, quod quia tranſcribere non potui, ingemui ſepe & dolui, doleam donec alterum exemplar ſe mihi offerat. Joh. Cuſpiniani* noſtri manus eſt. Verum moderare dolori, mi *Cuſpiniane!* Ut ut antiquum, *Cypriani* non eſt, neque etiam *Tertulliani*, ad quem retulit *de Judicio Domini* inſcriptum *Fabricius* in Collect. *cit.* p. 256. Extat tamen ad *Tertulliani Rigaltiani* calcem *Pariſ.* 1634. p. 808. f. et rurſus e Cod. *Corbejenſi* 900. annor. vulgatum a *Martenio* in *Vett. Scriptor. et Monum. ampl. Collect. Pariſ.* 1733. T. IX. *col.* 1. f. Apud priorem incipit:

Quis